Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

dicatur. quia iusticie affectum spontanea quadam delibatione abiecit. iam ipsa desertio iusticie primum peccatum fuisse negatur. quoniam mala illa precessit. per quam facta est. Nec potest inueniri unum uoluntas talis sit homini aduenerit quod uellet bonum quod habuit deserere. quoniam neque a semetipso uelle habere neque a deo quicquam preter commodum et iustum uelle accepit. Sed considerandum est quod cum iusti appetitus nichil aliud sit quam iusticiam uelle. appetitum iusti deserere id est quod iusticiam uelle desinere. Qui autem uelle desinit. non uolendo uelle desinit. sed a uoluntate cessando. quemadmodum ille qui aliquid facere desinit. non faciendo desinit. sed cessando tantum et quiescendo ab eo quod facit. Quia ergo homo appetitum iustum deserens. non uelle cepit quod prius noluit. sed tantum quod prius uoluit uelle desiit. non necesse est ut hoc aut uolens aut nolens fecisse dicatur. Voluit tamen aliquid. quod quia cum isto uelle non potuit desiit illud uelle quod uoluit. Hec ideo illud uoluit quia istud uelle desiit. sed potius ideo istud uelle desiit. quia illud uoluit. Peccatum tamen et iniquitas sed proprie non ex eo pendet quia illud uoluit. sed quia istud uelle desiit. quoniam si hoc uelle non desineret. siue illud siue aliud uolendo numquam peccare potuisset. Quod autem illud fuisse dicitur quod uolendo iustum uelle desiit. non quia illud extra mensuram uoluit. in qua sola iusticia fuit. Quicquid enim extra mensuram est. iustum esse non potest. Sed que fuit ista mensura in qua uoluntas hominis esse debuerat ut bona esset et malum mea non esset. hoc diligenter considerare oportet. *XII. De mensura.*

Quod de iusticie sit

XII Duo bona preparauerat deus homini. unum temporale et aliud eternum. ut temporali uteretur. eterno frueretur. Sed quia bonis uti aut frui laudabile non est nisi bene utaris et fruaris. definita est homini mensura. scilicet qua bonis suis temporalibus bene uteretur. eternis bene frueretur.

De mensura inferiori.

XIII Modus autem mensure in usu inferioris boni quadripartitus constabat. primo ut uteretur hiis tantum quibus uti deberet. secundo ut qualiter deberet. tercio ut quantum. quarto ut quamdiu. hoc quicumque homo preteriret. mensuram amitteret.

De mensura superiori.

XIIII Modus autem mensure in fructu superioris boni bipartitus tantum inueniebatur. primo ut sciret homo qualiter illo bono frui deberet. secundo ut quando eo illo bono frui conueniret agnosceret. Nam quo bono ibi fruendum esset ideo querendum non erat. quoniam non nisi unum bonum solum ibi erat. Similiter et quantum illo bono fruendum esset omnino querendum non erat. cum sine dubitatione constaret. quia quanto magis illo frueretur quis. tanto utique felicior esset. Illic autem solum mensura quantitatis querenda est. ubi parum aut nimium esse potest. Fructus autem huius boni ita se habet. ut in eo qui minus possidet. plenum sit. et qui amplius. non sit superfluum. In hoc ergo solo mensura constabat ut agnosceret qualiter illo bono frui deberet ne inordinate illud nec ad imitationem sic capere cuperet sed ad equalitatem quod capere possibilitatem transcendit possidere concupisceret. Similiter ut adtenderet ne illud ante tempus preripere festinaret. cum illud prius quam obedientiam consummasset accipere non deberet. Sic ergo in hiis bonis commodum hominis constitutum erat sic in mensura utendi uel fruendi bonis hiis iusticia eius esse debuerat. Et quemadmodum ei uoluntas data fuerat. qua bona sua et in bonis suis commodum suum appeteret. ita et uoluntati eius insitum fuerat. ut ipsa ei mensura secundum quam eidem bonis suis uti uel frui debuerat non displiceret. In eo ergo quod bona sua amauit consideramus appetitum commodi. In eo autem quod mensuram in bonis suis dilexit. intelligimus appetitum iusti. Si ergo mensuram homo semper dilexisset; appetitum iusti non amisisset. mensuram autem semper